



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Fur, quod alteri conabatur clepere, clepsit sibi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

postquam pictor attulit imaginem, quamvis omnibus numeris absolutam, ipsi tamen etiam superbiæ ea non videbatur satis accurata. Siquidem re ipsa mercator longè se censuit esse, quàm in ea effigie, pulchriorem. Quoniam igitur maluit argentum suum, quàm signum suum domi seruare, irato similis pactum rescidit, prætexens picturam non esse ex conditione pictam, neque ad suam voluntatem, atque adedò à suo vultu diuersam, vt Oedipo opus sit, qui diuinet, cuius ea sit imago. Pictor, qui non minùs ingenium habebat in promptu, quàm penicillum, quasi nihil ea re offensus, placatissima voce respondit, haud se idcirco affligi, facilè se id opus alibi maiore pretio venditurum. Mercator, postquam dixit, de imagine vt faceret, quidquid vellet, iussit pictorem cum tabula sua bonis auibus domum redire. Reuersus domum pictor illico penicillum arripuit, vt imaginem emendaret, mercatoriq̄ue redderet similiorem. Versicolore ergo mitram capiti eius imposuit, Cappadocemq̄ue fecit, quali ferè ornatu stulti solent incedere, in aulis Principum. E mitra surgebant geminæ longæq̄ue aures, quales Midæ appinguntur, aut quales solent esse asinorum. Neque carebant appendicibus summæ aures, quia erant cacuminatæ, vt tintinnabulis sonoræ viderentur. His insignibus condecoratam imaginem in pinacotheca vanalem exposuit. Quicumque igitur tabernæ propiores transierunt, subsistebant, & cuiusnam stulti ea esset effigies, scire cupiebant. Neque diu ambigui fuerunt. Ita enim facies imaginis respondebat exactè vultui mercatoris, vt ouum ouo similius non esset. Mouit ea res spectatoribus risum, manauit in vniuersam ciuitatem fama; peruenit rumor etiam ad ipsum mercatorem, nimirum cum exiguo illius honore ridiculam eius imaginem prostitui, cachinnis aspergi, vno verbo, illum tamquam stultū representari. Surgit mercator & accurrit ad tabernam, ac ne diutiùs in argumentū ridiculi proster, imaginem pariter atque ignominiam suam iam quatuordecim Philippæis lubens volensq̄; redimit. Ita quam superbiam avaritiamq̄; in imagine exerecit, in imagine luit; pictorq̄; læsus iniuriam ex æquo pensauit.

Diuinæ quoque prouidentia iste stilus est, vt per inexpectatos casus fraus in fraudantem retorqueatur. Duo feruntur vicini fuisse, quibus vnum erat granarium, in quo connectas fruges re-

SS 2

conderat,

VII.

conderent, sed non vna indoles. Vnus enim erat iusticia, altera pecuniæ amans. Hunc igitur auarum subiit aliquando cupiditas rapiendi frumenti, quod ad justum pertinebat, & sane modicum erat; quemadmodum neque auari aceruus admodum magnus. Ne ergo, per nocturnas tenebras, error contingeret, ac sordidus ille, ipse sibi, quod suum erat, raperet, lacente adhuc sole, clam in granarium irrepit, suumque pallium vicini frugibus superiniecit, eo indicio, noctu, frumentum alienum deprehensurus. Ita fecit, & abiit. Interea tamen & alter voluit, ante diem abeuntem, visitare frumentum suum. Ingressus igitur ad suam cumeram, reperit eam vicini pallio diligenter contextam. Miratus est initio: sed mox, quia pluuium erat calum, charitate id vicini factum est interpretatus, vt qui voluerit, neglecta sua propria parte, socij frumentum contra imbres tueri. Vt ergo amor amorem, & benevolentia benevolentiam parit, beneficium voluit beneficio compensare. Et, hem, inquit, ita vicinus meus meis rebus cauet? ita prospicit? ita abijs arceret pluuiam per regulas stillantem? Non patiar hoc fieri, non sinam me beneficentia superari. reddam amoris vices. dixit, & cum dicto pallium arripuit, atque à suo aeterno ad vicini cumulum transtulit, vt eum contra cali injurias tegeret. Quod vbi fecit, abiit. Abijt etiam paulò post dies, & nocte calo inducta, ac tenebris sese intendentibus, tenebrio ad esse commodam cogitationibus suis horam ratus, ad granarium curiose obseratum accessit, illudque clauis Laconica furtim referauit. Ad locum prædæ postquam venit, tenebris imaginationem perturbantibus, oculorum vice, manibus palpare cœpit, donec ad pallij sui indicinam perueniret. Nihil ergo ambigens, se vicini frumentum tenere, saccum repleuit, & secum asportauit pallio tectum.

Senec. ep. 75. Quam vere dixit Seneca: *Nulli, etiam cui rapina cessit feliciter, gaudium recte durauit in posterum.* Nam noctis lætitia, diei facta est tristitia. Lux enim orta ostendit, Harpalum hunc, casto labore, non que vicini erant, sed sua rapuisse. Ita quidem diuina providentia voluit, vt sibi ipsi faceret, quod facere alteri cogitaret. Quod auidimus etiam maligni dæmonis arte aliquando factum, cum magicæ peritus alteri cultrum in manum præbens, simul & digitum suum, iussit eum audacter secare. Qui postquam secare pariter &

JIV

, 112

112

ter &

ter & dolorem sentire cœpit, intellexit, se non digitum magi, sed suum nasum tenere; & si perrexisset, non alteri, sed sibi vulnus inflicturn fuisse. Voluit enim illi versipellis artifex nasum facere dum eum denasare.

CAPVT XLV.

Varijs S. Scriptura locis ostenditur, pœnam talionis fuisse indicatam, & inculcatam.

Sed satis fabulæ talionem ostenderunt, in malis inferendis, & referendis. Id ipsum etiam sacræ litteræ sapius docent. Dauid enim ait: *Lacum aperuit, & effodit eum; & incidit in foueam, quam fecit; & filius eius: Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* Item: *Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Quin & in Ecclesiastico legimus: *Qui foueam fodit, incidet in eam, & qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo; & qui laqueum alijs ponit, peribit in illo.* Ac ibidem: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet; & plaga dolosa dolosi diuidet vulnera.* His similitudinibus diuina Scriptura ostendit, dolos & insidias in eum recidero solitas, qui illas alijs fraudulentè struit. Primam similitudinem à fouea sumptam, quidam ita exponunt, vt dicant, eum, qui alteri foueam, id est, sepulchrum aperit, vt ipsum secretò peremptum condat; Dei prouidentia, sæpe ipsum in eam inferri. Quo pacto multi filij patris sui mortem optantes, tumulum, & epitaphium ei, ante tempus fecerunt; sed ipsi priùs mortui, ibidem humati sunt. Alij, magis appositè, aiunt Salomonem ducere similitudinem à venatoribus, qui foueas, seu scrobes faciunt in semitis ferarum: easque vel gramine, vel stramine contegunt complanantque, vt bestias illac transeuntes deludant, incautusque incedentes & incidentes comprehendant. Quid si à bellis sumpta sit similitudo, in quibus aliquoties suffossis cuniculis hostis hostem dum captat, ipse capitur; bestijs vel flammis, per eisdem cuniculos illi obuiam missis? vt eadem via qua exitum indacere vrbi parabat, exitium recurrat ad fossorem. Idem quod *fouea*, significat in Psalmo *lacus*, hoc est, cella subterranea, carcer, sepulchrum. Ita quisquis dolos, & insidias, & foueas, quisquis calumnias, cu-

I.
Psal 7. 16.
Prou 26. 27.
Ecclef. 10. 8.
Eccli. 27. 29.
Ibid. v. 28.

